

DISCUSSIONUM PERIPATETICARUM
TOMI III LIBER III

**Aristotelicae contra Pythagoreos obiectiones
earumque solutiones**

5

Pythagoreos nomine hoc non uno in loco Aristoteles est persecutus, eas persecutiones quotquot poterimus perpendemus, ut cognoscatur an aequiori in hosce viros animo quam in praecedentes 7 philosophos magnos fuerit ac quantum ab his quoque 10 voluerit discrepare. Rem ergo aggrediamur.

Singulis fere annis in Italicis Peripateticorum scholis quaestio de sex coeli distantiis, quae est apud Aristotelem libro De coelo 2. magnis ingeniorum contentionibus agitatur. Nemo tamen, quod quidem ipse audiverim aut cuius scripta legerim, id quod in ea 15 quaestione est, animadvertis. Habet Aristoteles eo libro capite 2. haec verba:¹ *Ideo Pythagoreos quis admiretur, quod duo sola haec principia dixerint, dextrum et sinistrum, quatuor vero reliquerunt, cum non sint minus principalia.* Quatuor autem haec principia eos non reliquisse ipsem et sub finem capitinis eiusdem attestatur his 20 verbis:² *Vel sicut Pythagorei aiunt: [307] illi enim nos sursum faciunt et in dextra parte, eos vero qui ibi sunt, deorsum et in sinistra.* Si ergo Pythagorei ponunt sursum et deorsum, duo de quatuor quae dicebantur ab eis relicta, qua veritate accusantur quatuor eos omisssisse? Imo vero sex omnes positiones et agnoverunt et docuerunt

¹ Διὸ καὶ τῶν Πυθαγορείων ἀν τις θαυμάσειεν ὅτι δύο μόνας ταύτας ἀρχὰς ἔλεγον, τὸ δεξιὸν καὶ τὸ ἀριστερόν, τὰς δὲ τέτταρας παρέλιπον [παρέλειπον] οὐδὲν ἡττον κυρίας οὔσας: [ARIST. Cael. 285a.10 – 13]

² ἡ ὡς οἱ Πυθαγόρειοι λέγουσιν, ἐκεῖνοι [ἐκεῖνον] γὰρ ἡμᾶς ἀνω τε ποιοῦσι καὶ ἐν τῷ δεξιῷ μέρει, τοὺς δ' ἐκεῖ κάτω καὶ ἐν τῷ ἀριστερῷ. [ARIST. Cael. 285b.25 – 27]